

16.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE
**PALPITATIONE
CORDIS,**

QVAM
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,
PRÆSIDE,
DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
ACADEMIÆ h. t. PRO-RECTORE MAGNIFICO,
ET ORDINIS MEDICI DECANO,
PRO DOCTORIS GRADU,

in arte salutari obtainendo,

Placido Philiatrorum Examini
submitteret,

AUCTOR,
CHRISTIANUS GOTTLLOB Steudner/
GRYPHORINO - SILES.

Die Maji 4. c. M DCC XIX.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS IOH. CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

PARAPITATIONE
GORDIS

AVTOS E FICILATZ MEDICZ CONCEINS
GARDE
IN ERIDERICZ HOTHMANNO
ACADEMIA LUTHEROTOCRATICA MAGNIFICO
ET ORDINA MARCIO GREGORIO
PRO DOGD DRIS GRABD

CHRISTIANE GOTTHEB GERMINGA
GARDE
GARDE
GARDE

TABLOD CHRISTIANI ZAHNI VOGT TYPOT
HILDEBRANDVIC
GARDE



DISSE^TRAT^IO SOLENNIS
DE
**PALPITATIONE
CORDIS.**

PRO^EMI^UM.

Principem corporis nostri partem esse cor & praxe ab eo vitam dependere, dudum a veræ physices & anatomie peritis medicis inter res certo exploratas & indubias est repositum, si quidem evidentissime potest demonstrari, a Corde & ejus motu systaltico & diaystaltico sanguinis per universa corporis nostri vasa tam arteriosa, quam venosa circulationem unice dependere & ex eo fonte singulas corporis partes succo nutritio vitali irrorari & ita in vigore motus & debito tono conservari. Et quemadmodum juxta philosophiam modernorum physicorum ac medicorum in ipso ovulo materno non effœto prima stamina & rudimenta machinæ humanæ in stupenda licet exiguitate recordantur: ita nulli quoque dubitamus, quin ipsum hoc motus

A 2

cor-

cordis regimen jam tūm modo plane imperscrutabili ibidem peragatur, quæ admirabilis functio tunc demum sit conspicua, quando machinula hæc ovulo inclusa & in arvum genitale deposita ac sœcundata successiva expansione evagescit & ope succi nutriti per vasa uterina subinde advecti & appositi incrementum capit. Eapropter anatomici solidiores non sine ratione cor primum movens & ultimum moriens adpellitarunt. Quandiu in homine motus cordis & per consequens sanguinis observatur, tamdiu quoque vivit, siue is proportionatus & ordinatus est, sanitatem gaudet integram: simulac vero iste aliqua ex parte vi cauorum morbificarum in ordine suo perturbatur, illlico etiam sanitas labefactatur, siue omnino destruitur & plenarie cessat, mors atque solutio corporis putredinosa praesto est. Quum igitur artificiosissima hæc machina præcipua & fere unica actionum vitalium sit directrix, facile jam patet, non levem corpori humano labem succrescere, si ea, quacunque demum ex causa id contingat, virtutem quoddam motus incurat. Inter illa vero motus vitia, quæ cordi accident, non insinuum cum sit ejus palpitatio, hinc bono cum Deo loco specimenis Inauguralis Dissertationem de ea conferbere nobiscum constituiimus. Quodsi veterum monimenta de hoc affectu evolvimus, pestisne eos in hoc explicando impiegisse ubique reperiemus: ratio vero nulla alia est, quam quod theoria minus firma instructi secundum vulgarem morem, dum certi affectus naturam evolvere suscepertunt, raro ex sufficienti circa lectum ægrorum collecta historica experientia id tentarunt, sed potius, quæ facti, quæ experientia ac observationis sunt, quæque maximi momenti ad morbi aliquujus genitum noscendum & consequenter ad rectam medendi regulam formandam crassio involverunt silentio. Optandum sane quam vehementer esset, ut omnes, qui aliquid laude digni præstare vellent, exemplo solerterissimi Sydenhamii vere, practi-

PROEMIUM.

practice & historice de affectibus morbosis scriberent, neque speculationibus saepius frivolis & rationibus primis tam scrupulose immorarentur: ita enim profecto firmiori fulcro innixa esset praxis nostra medica in compluribus etiam vulgaribus morbis quoad exactam phænomenorum historicam cognitionem valde adhuc sterilis & manca. Hoc cum videremus, maxime dedimus operam, ut de affectu nostro, cuius tractationem suscepimus, practice & ex multiplici circa eam collecta historica cognitione & observationum segete additis ubique rationibus ex rei veritate desumatis scriberemus. Connexionem quod attinet, dabisimus primo accuratam distinctam & propriam ex rei natura petitam hujus pathematis definitionem, deinceps subjungemus ejus differentias & veras causas, hisce addemus signa, ex quibus causarum indoles utcunque poterit cognosci ac detegi & periculum ex iis expectandum prædicti, tandem curationis methodum cum modo præservandi ac mitigandi hoc malum communicabimus & eam quidem ad causarum individualium indicationem dirigimus. Quæ igitur in hoc affectu a nobis visa, notata, collecta & præsertim ab *Excellentissimo Dn. Preside* observata sunt, quoad fieri poterit, dextre, breviter tamen, recensebimus, nulli dubitantes, supremum rerum moderatorem huic nostro instituto ex alto benedicturum, ut non medicis usus in rem medicam & salutem ægrorum inde proficiat.

§. I.

Supendi artificii illud Perpetuum Mobile corporis nostri cor quamdiu in æquilibrio versatur, sanitas longe exoptatissima præsens est: simulac vero incordinationem quandam motus subit, tum labem alicubi concepisse machinam nostram & morbum adesse certissime judicatur. Evidem varii sunt morbi, quibus ab

æquilibrio motus dejicitur rex vitalium negotiorum. At vero, quia instituti nostri non est, in latissimum pathologiae campum quaquaversus excurrendi, sed unicum solummodo morbum quo immediate cor adficitur, palpitationem rei eis hac vice pertractandi animus est, eapropter absque longioribus ambagibus ad meinorati affectus plenioram discussionem properamus. Est itaque cordis palpitatione, quæ Græcis *ταρπός τῆς καρδίας* dicitur, convulsivus musculi cordis motus, quo e sede sua depellitur & violentia quædam ad pectus adigitur a fluidi nervi copiosiori & celeiori influxu variis ex causis proficiens.

S. II.

Dissert hæc passio gradu, quandoque ita debilis est, ut nonnisi ab æstro manus ad thoracem adpositione advertatur, interdum adeo intendit tantaque vi pectus contunditur, ut circumstantium visu percipiatur & per notabile etiam loci intervallum exaudiri possit. Quin imo prostant exempla, ubi validiori palpitatione motu septum cordis carnosum est disruptum & costa e sede sua dimota, luxæ & fractæ fuerunt, qualia videri possunt apud *Harvejum Exercit. Anatom. II. Georg. Horb. Obs. XIII. de morbis pectoris, Fornelium V. de Part. morb. & Sympt. XII.* & plures alios. Hoc in casu noua intra cor solum hic convulsivus motus consistit, sed latius etiam & in truncum arteriæ magnæ peryagatur, quare hoc concusso partes supra jacentes trement, extorsum dimoventur ac vim patiuntur.

S. III.

Distinguenda palpitatione cordis est a motu ejus systolico enoriori ac validiori, qui in febribus & acutis pathomatibus ut plurimum observatur. Facile vero ab invicem posunt discerni: in motu enim cordis systolico auctiori pulsus magnus est, vehemens, junctus cum celeritate, in palpitatione vero naturali similis emicat, quandoque etiam intermittit, in thorace tamen subsultus semper animadvertitur.

titur. Discerni quoque debet palpitationis essentialis seu idiosyncrasia ab accidentalibus seu symptomaticis, siquidem non parum inter se, si utriusque indolem & naturam accuratius inspicias, quoad causas, durationis tempus & curationis effectum differre deprehenduntur. Etenim essentialis palpitationis causa maxime resideret in corde ejusque vasis proximis, malum quoque diutius durat, nec facile praestantissimis etiam medicamentis in usum vocatis cedit, sed plerumque aegros ad mortem usque comitatur. Symptomatica vero affectibus spasmodicis associatur & nascitur ex primis viis, neque minus ex copioso & impuro circa cor stagnante ejusque fibrarum irritationem moliente sanguine, si que nervi praesertim parisi vagi & intercostalis affecti sunt, unde hypochondriaci, hysterice & epilepsia detentis familiarissime hoc affectus corripere visuntur. Malum quoque non longius durat nec continuo adsurgit, sed cum paroxysmo primarii morbi ut plurimum cessat, eodem vero revertente, atidem denuto infestare solet. Præterea, si methodo convenienti tollatur principaliter adfligens morbus, ejusmodi palpitatione, tanquam symptomata, simul desinat necesse est.

§. IV.

Ad causas hujus affectus expónendas jam provolvimus. Cum enim ex superiori ejus definitione omnino manifestum sit, palpitationem cordis non nisi præternaturali & violenta ejus convulsione & a sede sua dimotione fieri ostendamus jam necesse est, quanam sint illæ causæ, a quibus machina cordis ad motus ejusmodi convulsivos excitandos tantopere irritetur. Sicuti vero ad motum cordis naturalem, æquabilem & proportionatum omnino requiriuntur tum substantia ipsius cordis vigor, & vasorum proxime adjacentium integritas, tum etiam ductuum ac succorrum eos permeantium justa dispositio ac constitutio: ita si cor vel ei adnexa vasa vitio quadam laborant, si fluidi nervi concitatior ad cor sit influxus & sanguis a naturali sua tem-

temperie descisit & variis heterogeneis particulis & impuritatibus secat, motum istum naturalem, æquabilem ac liberum vim pati ac perverti posse, in aprico positum est. Omnis itaque palpitationis causa vel in ipso machinæ cordis virtio residet vel in vasis proxime adjacentibus aut fluidi nervi influxu celeriori ac copiosiori, impuris ac intemperatis succis ad cor adfluentibus ejusque fibras ad præternaturalem motum convulsivum irritantibus & adgentibus quærenda est.

§. V.

Quodsi igitur in ipsa cordis substantia vitium heret, illudque a vulnere, calculis, vermis, polyposis excrescentiis, concretionibus steatomatosis vel cartilagineis aut aliis rebus ipsi inherenteribus vitium concepit & hac ratione vi- gorem suum naturalem amiserit, palpitationes inde suscitari enoriores experientia & observatione gravissimorum me- dicorum constat. Ita *Forstius Lib. XXII. Obs. I.* exem- plum profert juvenis, qui a vulnere thoracis enormem su- stinuit palpitationem. Imperator Maximilianus, II, per to- tam vitam suam frequenti admodum cordis palpitatione fuit affectus, in cuius corde post mortem dissecto inventi sunt tres lapilli quantitate pisorum, unus interim major altero colore rubigineo, uti id testatur *Burneius in The- saur. med. pract. Lib. III.* Similiter *Heurnius Obs. XXXIX.* a tribus lapillis cordis septo inclusis gravem ejus palpitationem annotavit. *Henricus Meibomius idem confirmat in Discurso suo*, quem de abscessuum internorum natura & constituzione conscripsit, ubi hæc verba extant: observatum sepius est, lapides fuisse circa cor concretos & ipse e- go ante annos sex publice demonstravi materiam lapideam circa arteriam magnam ad cor fuisse concretam, que non parum ejus orificium obstruebat & proin sanguinis impe- diebat motum. Erat autem calculus ille tophaceus, fini- lisque in pulmonibus & circa pulmones reperiens. Ver- mes

mes quoque in cordis ventriculo aut pericardio delitescentes causam malo huic saepius dedisse; auctor est Bonetus in *Anat. Pract. Lib. II. S. VIII.* cui & plures alii ibidem citati pleno consensu adstipulantur. Nostra etiam fententia non sine ratione *Olaus Borrichius in Actis Med. Hafniens.* pag. 173. aquam pericardis copiosius collectam in numerum cauarum hujus affectionis refert, quod itidem facit *Hollerius in schol. Cap. 39. Lib. I. Carol. Piso de morb. a colluvie serosa* pag. 179. *Tulpus in Obs. Med. Lib. IV. Cap. XX.*

§. VI.

Frequentissime vero concretiones fibrosas ac membranaceas, quas polypos vocant medici, producere hoc malum vel praesens augere & immedicable reddere firmiter fumus peruersi. Varia autem figura ac diversa magnitudine a solertiaibus cadaverum humanorum dissectoribus fuerunt deprehensi polypi. *Job. Cousin in Nov. asth. Hist. III.* refert: se invenisse interdum polypos tantæ molis, ut corda inde ad instar cordis bovis quadrati distenta fuerint. *conf. quoque Marcell. Malpigh. in Epist. de polypo cordis, item Petr. Laurentius Snellius in Diss. Giesse Hassor. habita de polypo cordis §. 31. it. Schenck. in Observat. Lib. II. ubi refert ex Garnero,* quod in sacerdote quodam meditationibus sacris addictissimo, qui a teneris annis palpitatione cordis cum ætate subinde incremente laboraverat, obseruaverit excrescentiam carnosam in basi cordis intra caudicem aortæ atque arteriæ pulmonariæ radicem enatam pondere uncia unius ac sex drachmarum ac figura alterius quasi corculi. *Steatomatosas vel cartilagineas circa cor vel in corde concretiones accusat Meibomius loc. cit.*

§. VII.

Inter rarissimas palpitationis cordis causas, quæ in cordis ambitu consistunt, referendi quoque sunt abscessus experientia & cadaverum apertione id demonstrantibus. *Henricus Meibomius in Discursu de abscessuum internorum natura*

tura & constitutione Membro. II. de abscessibus thoracis Artic.
V. testatur, factis sectionibus eorum, qui palpitatione cor-
dis divexit obierunt supremum diem, saepe fuisse absces-
sus in corde interne & externe repertos. Ipse quoque sa-
pius post mortem ejusmodi subjectorum deprehendit ma-
gnam materiae copiam in pericardio contentam & in quo-
dam vivo post mortem dissecto vidit pericardium adeo di-
stentum, ut vel duplo maius esset solito contento in illius
cavitate liquore sanguineo, ipsum etiam cor erat externa
sua substantia plane erosum, ut si diutius ibi forte mansisset
materia, in ipsas cavitates cordis penetrasset.

§. IIX.

Neque ex numero causarum eximi debet valvularum
cordis vitium & consumptio, cuius rei exemplum prostat
in *Miscell. Naur. Curiosr. Dec. i. A. 1. obs. 70.* ubi refertur de
puero duodecim annorum qui post magnum haustum frigi-
dæ in calore continuam cordis palpitationem per aliquot
annos passus est & tandem phthisi ac hectica accedente vi-
tam cum morte mutavit, quod aperto ejus cadavere cor
stupenda magnitudinis, plenum & extensum sanguine atro
repertum fuerit, & in ortu arteriæ magnæ media valvula lu-
naris usque ad substantiam arteriæ plane consumpta, illaque
pars, ubi arteria adhærebat prorsus triabilis deprehensa fu-
erit. Neque etiam dissentit ratio, quod hic affectus a
memorata causa queat produci. Sapienti enim naturæ con-
filio valvulæ semilunares ex parte inferiori, qua cor spe-
stant, convexæ, superiori autem concavæ sunt fabricatae, ut
sangvis systaltico alterius auriculæ motu expulsus hasce val-
vulas commode diducere, orificia arteriarum succedere &
ope harum valvularum in diastole cordis ad se accedenti-
um humorum regurgitantium vim sustinere posset. Quan-
docunque igitur labe quadam infectæ vel corruptione pro-
fus detritæ sunt hæ valvulæ, functio earum, cui a natura a-
lias præsunt, intercidit, sanguis vix e corde emisius in cor
ad-

ad hoc patulum statim resilit, haecque regurgitatione illud ad tumultuariam motuum agitationem incitatur, ut adeo hac ratione conceptu non admodum difficulti gravis cordis palpatione oboriantur. Et nulli sane dubitamus, quin, si frequentiores cadaverum hoc morbo defunctorum instituerentur dissectiones, uberioribus hac de re observationibus confirmaremur. Et haec omnia haetenus prolatæ abunde ut opinor, nos informabunt de causis palpitationis cordis, quæ sedem in ipsa cordis substantia fixam tenent.

§. IX.

Progedimus jam ad alias causas palpitationis evolendas, quæ vel in vasis cordi proximioribus vel ab eo inter vallo quodam remotis consistunt, si nempe illa quodam con formationis vitio laborant aut nimium constricta, obturata vel taliter affecta sunt, ut propulsari vel jam propulsi e corde sanguinis liberior circulatio intercipiatur, atque adeo sanguini vi quadam ad cor repercutiatur, ibique tumultuari necesse habeat. Et huic optimo jure per trahitur observatio illa *Thoma Wil lisi*, quam communicat in *Pharmac. rationalis P.I. Sect. III. Cap. III.* Deprehendit namque *in vitro* palpitationibus frequentissimis per vitam exposito sectione corporis post mortem administrata aortam arteriam in principio totam osseam & latera ejus adeo compressa, ut per exiguum cavitatem relictam sanguinis dimidia pars vix potuerit affluere. Idem quoque hanc ipsam affectionem ab obstructione & infarctu arteriarum pulmonalium in alio notavit, in quo propterea dexter cordis ventriculus sanguine concreto tumidus ejusque lateris auricula in immensum aucta & extensa ac congrumatis crux plena apparuit. Pariter *Johannes Maria Lancisius in Tract. de morib. subitaneis Lib. II. Obs. V.* singulariter communicat historiam palpitationis cordis cum sterni dolore, quæ originem habuit ex aneurismate arteriæ magnæ conf. quoque *Georg. Baglivus Libr. I. de fibra motrice Cap. VI. pag. 303.*

B 2.

§. X.

§. X.

Non solummodo autem hic affectus a causis jam memoratis & in medium adductis producitur, sed attenta quoque experientia & ratio ipsa evincit, eundem saepius a sola sanguinis abundantia prognosci atque fovari. Quodsi enim sanguis licet optimæ notæ sit, quantitatem proportionatam in corpore excedat, non modo, si praesertim a causis externis commoventibus verb, grat. a nimio motu corporis aut animi vel potus spirituosi ingurgitatione turgentiam conceperit, facile vasa sanguifera expandit, cordis que sinus sua mole ita aggravat, ut illud plus æquo distentum ad tumultuarios istos palpitatorios motus subeundos incitetur. Idem quoque non raro accidere observamus illis, qui sanguinis detractionibus solennibus adsueti easdem justo tempore non repetunt, sed neglectui habent. Quantam cordis palpitationem non infrequenter sexus sequior incurrat, si menses antea rite & copiose prodeuentes paulo post temporis consueti non sint observantes & aliquandiu reaniferint, optime norunt, qui in solidioris præx eos exercitio diligenter versantur. Hæc qui secum exactius ruminatur, facile rationem dare poterit, quare palpitationi cordis obnoxii post mortem cultro anatomico subjecti corda ampla & ad majorem dilatationem inidonea exhibeant.

§. XI.

Preter sanguinis abundantiam inter causas hujus affectus quoque connumeranda est ejus cacochymia & impuritas. Etenim quando sanguis a naturali sua temperie recessit & variarum particularum heterogenearum intermixtione lentorem ac spissitudinem contraxit, facile hinc inde in vasis stagnat & aliquid mucaginis ac lentoris sui interioris venarum ac arteriarum parietibus adponit, ut adeo obstructiones hoc modo producantur & sanguinis circulus valde inæqualis reddatur. Quodsi igitur sanguis impurior & crassior per vasa obstructa transire non valens stagnatio-

nem

nem subit & forte impetu spasmorum ad superiora & maxime cor repellitur, non modo ibi horrendas præcordiorum anxietates, sed & sapissime ingentes motus palpatorios cordis suscitat. Et has palpitationis causas scorbutici, cachectici, hypochondriaci & aliis spasmodicis affectibus detenti ut plurimum accusare debent. Per uteri confusum in mulieribus sanguine copioso & impuro scatentibus frequenter cordis palpitationem oboriri, quotidiana testatur experientia tunc temporis potissimum, ubi propter mensium retentionem genus nervosum irritatur & sanguis per spasmos ad cordis thalamos pellitur. Non autem solummodo a nimis sanguinis abundantia & impuritate fogetur hæc passio, sed frequentius etiam ab ejusdem defectu oboritur: siquidem post magnas hæmorrhagias v. g. in abortu, item puerperio & nimio mensium fluxu palpitations enormiores non semel observavimus, non alia vero ex causa id ipsum fieri existimamus quam, quod exhausto plurimam partem latice vitali & viribus fractis genus nervosum adeo imbecillum fiat & debilitetur, ut ex levi postea causa, animi affectu præsertim terrore & ira, externo frigore, cruditate ventriculi & flatibus inclusis spasmodice partibus nerveis constrictis congestio fiat ad cor, sed maxime omnium hisce causis irritati præcordiales nervi, facile admodum & promte repetant consuetas convulsivas suas tractiones.

S. XII.

Perlustratis igitur iis causis quæ proxime & immediate morbum hunc fovent & sedem suam maxime in corde ipso vel vasis vicinis habent, progredimur jamad causas magis remotas, exterinas & occasioales, quæ hujus mali productioni mirum velificantur, illudque interdum in sa- nissimis corporibus inducendi facultate pollut. Inter has vero primo referimus aërem frigore vel calore vel vaporibus deleteriis distemperatum, siquidem frigus sanguinem

incrassandi & ab extremis partibus corporis ad interiora pellendi potentiam habet & facile hoc modo in dispositis facta congestione circa præcordia hoc malum proritari potest; calor vero excessivus sanguinem nimis rarefaciendo & in orgasmum deducendo vaia pulmonalia præternaturaliter expandit, ut ita propulsioni sanguinis debitæ vacare nequeant, quo fit, ut istud nimia in copia ibi congeratur & ad convulsivum palpitatorium motum cor impellatur. Eodem prorsus modo operantur terti vapores ad respirationis organon immitti, unde a fumo antimoniali in pulmones suscepto ingentem palpitationem cordis obortam observavit. *Godofr. Schulz. in Tract. de Natura Tint. Bezoard. Cap. V.*

§. XIII.

Deinceps in causarum harum classem jure meritissimo referendi sunt cibi flatulenti vel aromatici calidores, venena & draistica purgantia, affectus animi graviores in primis vero terror, amplexus venerei ferventiores, res odorem suavem vel foetidum spirantes, motus & exercitationes nimic & quæcunque genus nervosum concitatius movendi & sanguinem ad præcordia congerendi vi pollent. Hæc enim omnia in dispositis & cum primis iis subjectis, quibus hæc passio alias fuit familiaris, facilime hunc effectum suscitare possunt, uti id experientia clarissimorum medicorum & ipsa ratione comprobari potest. Etenim quod cibos flatulentos attinet, testatur *Malpighius* de se ipso in *Epistola ad Borellum*: se ab adsumis leguminibus palpitations per sepe molestissimas fuisse expertum. Neque ratio hujus phænomeni est difficilis, a leguminosis enim istiusmodi & oleraceis alimentis lensor mucosus in ventriculo & intestinis relinquitur, qui postmodum in vapores resolutus abdomen diftendit, extenso vero hoc modo a flatibus abdomine liberior sanguinis circulus præpeditur & ingens sanguinis ad præcordia fit adfluxus & congestio, Quod vero etiam a

calidioribus & aromatibus supra modum conditis cibis accendi queat hic affectus, quale exemplum proficit in Ephemerid. Nat. Curios. Dec. 1. A. III. ob/ 134. id nostra sententia fieri putamus a nimia sanguinis, quam concitant ejusmodi calidiora, commotione atque rare factio[n]e. De venenis & purgantibus drafticis, quod inter dirissima symptomata non leves plerumque producant cordis palpitationes, non est quod multis verbis differamus, cum in vulgus notus sit eorum effectus & quotidiana tristis experientia id subinde adprobet, hanc suam autem operationem nullo alio modo exerunt, quam spastica nervorum & nervosarum ventriculi tunicarum commotione, qua sanguinis circulus & motuum vitalium oeconomia turbatur ac pervertitur.

§. XIV.

Si quid aliud vero, certe terror hunc affectum in sanguinibus hominibus provocat, hinc qui alias adsueta sunt huic malo, ex subito & vehementi terrore facilime palpitationem sibi contrahunt. Quippe in terrore externus corporis habitus fit constrictior & sanguis cum impetu ruit ad cor & pulmones, causaturque ibi mole sua premente anxietatem intensam, spirandi angustiam, pulsus debilitatem & frequen-tiam & quoniam ab onere hoc se[le] expedire vult natura, spiritus maximo impetu in cordis musculos influunt & convulsivum motum cordis sive palpitationem producunt. Porro & a venenis ardenter exercitio malum hoc recrudescere non ita pridem confirmatum vidimus in viro quodam palpitationi cordis alias obnoxio, qui ab alaci in venenis castris p[re]cello semper in paroxysmum denuo incidit. Denique quod a forti odore accendi possit haec passio, exemplo sunt feminæ hysterice, quæ delicatoris & sensibilioris constitutionis nervos habent, ubi non semel, sed plures observatum, a solo moschi vel zibethi odore paroxysmum hystericum una cum ingentibus cordis palpitationibus fuisse concitatum. Sic constat nobis de femina tene-

rio-

rioris paulo constitutionis, quæ a medicamentis, quorum compositionem chamomilla vulgaris ingrediebatur, statim horrendas passiones spasticas cum magno cordis palpitatio motu experta est, imo quandoque a solo odore nares modice tantum feriente male habuit. Simili modo ex naturali quadam vel adscititia certæ rei aversatione hunc affectum in dispositis produci posse, non novum est. Neque etiam facile quispiam dubitabit, motus & exercitationes corporis vehementiores maximam vim habere in consuetis hanc tumultuariam cordis exagitationem inferendi.

§. XV.

Cum itaque usque huc satis dilucide exposuerimus, quæ ad causarum tam internarum, quam externarum hujus affectus qualemcumque notitiam generaliter facere videbantur, paucis jam ostendamus necesse est, quibus ex signis dijudicadum sit, a quanam præcipue caula interna in hoc vel illo ægro palpitatio cordis foveatur. Quum enim plures hujus affectus dentur cause & alius hoc corripiatur a calculis vel vermis cordis substantiæ inhærentibus, alius a polyposis in ventriculis cordis & vasorum proximorum lateribus concrementis, rursus alius a plethora vel cacozymia & sic porro: multum profecto interest, ut medicus exactis signis de hujus vel illius causa præsentia informetur. Hac enim ratione non modo facile symptomatum compli- catorum rationem & methodum curandi ad cause eveniens ac minime fallax formabit judicium.

§. XVI.

Non melior autem ad veram causarum morbi alicujus cognitionem pervenienti datur via, ac si quis ad certa ar- que ex cause peculiari natura & indole necessario prodeuntia phænomena probe attendat, hæc enim pro diversitate cause omnino variare nonnihil debent. Nimurum, ut mentem nostram paulo clarius explicemus, est nostra sen-

tentia & causis diversis v. g. calculis, vermis, polypis, nimietate vel impuritate sanguinis & quæ sunt aliae supra commemoratae eundem quidem affectum palpitorium cordis posse produci, sed non eodem modo & prorsus simili symptomatum decursu, ut adeo alia phænomena se exerant in palpitatione cordis, quæ originem debet polypis, alia vero in ea, quæ fit a sanguinis statu cacoehymico & sic deinceps. Ex hac igitur phænomenorum diversitate signa causarum latentium palpitationis cordis indubia erui debere volumus.

§. XVII.

Quodsi ergo polypus causa palpitationis existit, is sequentibus maxime notis deprehenditur: a motu corporis validiori, a scalarum adscensione, vel ubi levissime etiam sanguis commovetur, protinus palpatio cordis invalescit, fit ingens circa praecordia anxietas cum pulsu debili & inæquali, quandoque etiam plane intermittente, spiritus adest difficultas, ut suffocationis metum ægri incurvant, interdum deliquium animi accedit. Præterea morbus diutius perseverat, nec ullis medicamentis cedit. Hisce sane signis concurrentibus de polypi præsentia nequaquam est dubitandum, in primis si pulsus inæqualitas observetur. Etenim si polypus ventriculos cordis obsidet, pro vario suo situ nunc plus, nunc minus sanguinis transmittit, hinc pro majori minorive sanguinis copia pulsus quoque nunc fortis, nunc debilis aut obscurus editur. Quod vero quandoque plane intermitat, id accidere existimamus, si quando polypus a loco suo avulsus libere in cordis ventriculo alterutro fluctuet & hinc forte una cum sanguine in vas sangviferum patulum propellatur, firmiusque in illud adigatur, ita ut plane occludatur & hac ratione sanguinis transfluxio impediat tamdiu, donec repagulum istud iterum solvatur.

§. XXIX.

Si a vermis in corde hospitantibus, quod quidem

C

ra..

rariissime contingit, malum hoc producitur, tunc eadem se-
re, quæ polypum manifestare diximus, signa attendenda.
Quandounque autem præter allegata hæc signa rosiōes
quædam in corde obseruantur, & pallore facies descedata
apparet, majori certitudine eorum præsentiam judicare li-
cet. Ea vero cordis palpitatio, quæ ab humorum prava
constitutione proficiscitur, ex nutritione depravata, habi-
tu corporis feignori, laxo & subtrumento, colore faciei livi-
do & flavescente aliisque sanguinis & humorum dyscrasias
signis optime diagnoscitur.

§. XIX.

Deinceps si à nimia sanguinis abundantia ejusque tur-
gescentia originem noster hic affectus habet, tunc ille di-
gnoscendus maxime est, ex vehementi arteriarum pulsatio-
ne & venarum faciei protuberantia, oculorum item tumore,
nec non oscitationibus membrorum gravitate, respirationis
post adscensum locorum acclyvium quadam difficultate.
Tandem quæ a calculis vel aliis rebus solidis cordi inha-
rentibus, itemque a quodam structuræ cordis vel vasorum
adjacentium vitio seu ab abscessu interno cordis, concreti-
onibus steatomatosi, imo cartilagineis vel lapideis profici-
scitur palpitatio, uti rariissime homines adfligit, ita difficil-
lime cognoscitur, neque facile medicorum quispiam erit,
qui tale quid in vivis ex certis signis ausit pronuntiare.

§. XX.

Ad prognosin hujus affectus quod attinet, eum, qua-
cunque demum a causa oriatur, periculi non expertem pro-
nuntiamus, si præfertim negligatur & parvi habeatur. Quan-
doquidem observationibus practicis id contestantibus inter-
dum inopinata syncope & præcipiti apoplexia subitum vi-
tae finem facit, vel cachexiæ, hydropi, lenta tabi, phthisi
aliisque morbis funestis occasionem præbet. Indicia vero
palpitationis periculose & cum metu subitæ mortis juncta,
sunt potissimum hæc: si palpitatio fuerit frequens, si ma-

gna,

gna, si cum anhelitu, animi deliquiis, omnis generis inæqualitatum pulsus & si æger congrua vitæ ratione minime utatur. Verosimile est, Galenum his admonitum indicii Antipatrum, cuius sæpius mentionem in scriptis suis injicit, improvisam, qua postea periit, mortem prædixisse. Etenim si hæc symptomata magna ex parte simul conspiravent, significatur utique, magnum dari vitium in corde aut proximis vasis, unde accedente aliqua causa procatarctica nullo labore motus ipsius cordis & sanguinis ex tempore lethaliter sistitur.

§. XXI.

Singularis est observatio, qua edocemur, nonnullos gravi cordis palpitatione detentos ab eadem naturæ beneficio fuisse liberatos vel solutione materiæ peccantis per urinam vel decubitu ejusdem ad aliam corporis partem minus nobilem. Ita *Lancisus Lib. I. Cap. XIX. pug. 59.* de mortibus subitaneis hanc in rem scribit: *multos novimus, qui a recurrentibus palpitationibus evacuata copia stranguriosa urine penitus liberati fuerunt & exempli loco adducit Illustissimum Praesulem Bonaventuram.* Et paulo post allegata verba hæc ita pergit: *multos iidem vidimus, quos pravus ad podicem decubitus vel gravis podagra a lethali cordis palpitatione vindicarunt. conf. Henr. Meibomius in Discursu de abscessuum internorum natura & confusione Membro. II, de abscessibus thoracis Artic. V.*

§. XXII.

Curatio hujus affectus, si is diutius jam duravit & in habitum ac consuetudinem degeneravit, ita ut a levissima cauca subinde recurrat & priora vestigia legat, non tam expedita ac facilis est, uti quidem vulgo putatur, siquæ a causa fovetur, quæ medicamentis subigi nullo modo potest, omnem plane medentium intentionem & præstantissimorum alias remediorum operationem eludit. Tenendum enim hoc ceu verissimum adsertum est, quod in omnibus

bus morbis spasmodicis & convulsivis, si eorum radices in tempore non evellantur ac praescindantur, facilime partes solidas dispositionem acquirant ad motus inordinatos frequentius reiterandos. Sub tali vero morbi indole ac habitudine quam difficile sit, aliquid memorabile & laude dignum efficere causamque morbi tollere, ac cumprimis dispositionem illam partium solidarum corrigere & subvertere, ii optime norunt, qui in artis salutaris exercitio crebris versantur. Quid igitur in palpitatione ab ipsius cordis vitio, vel a calculis, vermis, polypis aut ejus generis aliis rebus intus latentibus, vel ab arteria aorta aut pulmonaria male conformatis originem suam ducente medicorum opera valeat, is optime judicabit, qui causarum harum magnitudinem & medicamentorum pro earum expugnatione insufficientiam ac imparitatem sana mente considerabit.

§. XXIII.

Potissimum vero monentum in hoc affectu curando huc redit, ut, qui sanitati ægrorum præfectus est medicus, intempore ejus causis, antequam altiores radices egerint & fedem fixam habuerint, avertendis & in prima quasi herca suffocandis omni studio invigilet. Ut enim in omnibus morbis, ita maxime in hoc malo aurea illa *Ovidii admodum* probe attendenda, qua medicos instruit de tempore auxilii ferendi maxime opportuno, dum iacant:

Principiis obsta, sero medicina paratur
Cum mala per longas invaluere moras.

Idem quoque innuit sagacissimus ille Poeta Adarcell. Palingius
qui in Zodiaco Vitæ Libr. V. ita fatur.

- - non tu medicamina differ,
Sed cito curam adhibe, tenuis dum morbus adhuc non
Ad-

Adsumit vires, nec inest penetralibus hostis.

Ignis ab exigua nascens extinguitur unda:

Sed postquam erexit, volitantque ad sidera flammæ

Vix putei, fontes, fluvii succurrere poslunt,

Ergo festina morbi subvertere causam.

Hisce maxime salutaribus moxitis si aures praebant ægri & medicos in principio statim advocent, qui cum ratione morbi hujus præcautionem suscipiunt, non plane de exopratâ valetudinis pristinæ redintegratione erit desperandum.

§. XXIV.

Precipua vero medici intentio in hoc affectu curando esse debet, ut non modo ipso in paroxysmo genus nervosum a variis causis irritatum blande demulecat & sanguinis stasim circa cor & pulmones discutiat, sed etiam extra paroxysmum quavis arte annitur, ut causæ illæ, quæ fluidum nerveum concitant & fibras cordis ad motum istum tumultuarium provocant, cito & efficaciter removeantur. Hæ nempe potissimum sunt indicationes, quibus si cum ratione & prudentia satisfacere contendit medicus, malum, si non radicitus extirpat, tamen plurimum mitigabit. Omne vero curationis momentum in eo precipue versatur, ut causis mali rite perspectis ac cognitis in earum subversionem omnem moveamus lapidem, his enim expugnatis successive pristinum fibris cordis robur accedet & sanguis in liberiorem motum & ordinem redibit.

§. XXV.

Ad secundum autem convulsivum in paroxysmo cordis motum & sanguinem eo inclinatum discutiendum nihil convenientius & salutarius est, quam antispasmodica, quæ blando sulphure vaporoso pollent, illico in usum vocare. Faciunt huc in primis aqua liliorum convallium bene præparata leniterque spirituosa, item aqua melissæ Turcicæ &

C 3

qui

qui facile omnibus palmarum præripit Liquor anodynus mineralis *Excellentissimi Dn. Præsidis* cum spiritus cornu cervi vinosi & tinturæ antimonii acris anatica proportione mixtus, cui pauxillum olei de cedro admisceri potest. Per intervalla quoque sumi poterit pulvis antispasmodicus ex antimonio diaphoretico, testis ovorum præparatis, nitro, cinabari & castoreo compositus, a quo non parum levaminis in paroxysmo expectandum. Neque hoc in casu exter- norum usus spernendus, siquidem experientia constat, sacculos & fatus ex speciebus discutientibus & balsamicis v.g. ex camphora, croco, mentha, melissa, floribus chamomille vulgaris, millefolii summitatibus & hujus generis aliis pa- ratos & cum vino generoso vel aqua superius laudatis im- buitos egregie cor reficere & motus illius inconditos ac in- ordinatos optime moderari. Spectat huc quoque Balla- num Vitæ *Magnifici Dn. Præsidis* chartæ, bibulæ vel lin- teo duplicato superfluum & scrobiculo cordis impositum. *Forestus* melismam viridem cum borragine calefactam & cum aqua rofocea & momento acetii admotam laudare satis ne- quit. *Hieronymus Mercurialis* doctissimus sui ævi medicus testatur de Maximiliano. II. Imperatore, qui ultra virginiti annos hoc malo vexabatur, eum summopere levatum fuisse theriaca, mithridatio & vino odorato atque balneis extrin- secus adhibitis. Non minorem etiam laudem merentur hunc in finem admota naribus ac temporum regioni bala- ma & liquores volatiles ac spirituosi; Ipsa quoque foetida ex castoreo, asa foetida, pennis ustis & similibus multis æ- gris, præsertim feminis hystericis, plurimum levaminis hoc in calu adferunt exterius usurpata. Cavendum vero quam maxime est, ne vaporosa & fortiora narcotica, qualia sunt opiate, præsertim minus correcta, in hoc affectu confopiendo interne adhibeamus, quippe quæ, & cum primis, si offerantur iis corporibus, quorum vires ab enormioribus haemor- rhagiis penitus fere prostratae sunt, potius damnum inferuantur.

& malum deterius reddunt, tantum abest, ut solamini vel juvamini sint adflictis.

§. XXVI.

Sedato morbi paroxysmo unicus exquisitæ curationis cardo in eo versatur, ut ablationi causarum, a quibus malum hoc fovetur, impigre invigilemus; his enim prudenter remotis effectus ille palpitatorius longe molestissimus sponte sua paulatim desinet. Pro causarum vero differenti in-dole cura etiam diversa instituenda est, si cum ratione mederi & malum mitigare vel prorsus auferre contendimus.

§. XXVII.

Qvapropter si fomes mali in abundantia sanguinis nimia vel ejus turgescentia resideret, nullum consentientibus & veteribus & recentioribus medicis ipsaque recta ratione adstipulante convenientius datur remedium, quam si decenti methodo sanguis detrahatur & a partibus superioribus & praecordiis revellatur. Venæ sectio sane & sanguinis quaenque arte imminutio hoc in casu est opportunissima & solamen adfert egregium ac juvamentum non mediocre. Hinc Galenus Lib. V. de locis affectis Cap. II. adfirmare non dubitat: omnes palpitatione cordis laborantes vena sectione & alimentis ac medicamentis attenuantibus curatos ac liberatos. Consentunt hac in re etiam Antonius ab Altomari Cap. XLV. Capivaccius Lib. II. Pract. Cap. VIII. Vidor Trincavellius in Praelectionibus de Compositione medicamentorum atque morbis particularibus Cap. de palpitatione cordis. Inter recentiores medicos maxime eos, qui rationali & nudo mechanicae medicinæ addidi sunt, hoc remedii genus tanto magis commendatur, quanto illustrior exinde effetus ob evidentem suam operationem perspicitur. Etenim detracto per venæ sectionem sanguine copiosiori majus spatum se dilatandi ac constringendi acquirunt vasa sanguifera, qua ratione sit, ut liberiori cursu sanguis tunc per corporis canales possit circumferri, nec facile circa praecordia sub-

subsistat, stagnationem subeat & productioni hujus tumularii cordis motus causam præbeat. Largior vero sanguinis quantitas exhaurienda est & ad minimum unicæ sex vel octo unica vice demendæ & quo præcaveatur malum, reiteranda quovis semestri circa æquinoctium vernale & autunale est venæ sectio. Et quamvis nulla plenitudo insignis adsit, venæ sectio tamen nihilominus convenit, semper enim revulsione cavendum, ne humores ad cor jam debilitatum copiosius adfluant. Qui vero a venæ sectione ex concepto quodam fastidio abhorrent, nec ulla ratione ad ejus usum possunt perduci, illis loco hujus cucurbitulæ svadendæ, que quovis trimestri adponi debent brachiis & pedibus, commendanda identidem est inedia & tenuior victus ratio, infusa quoque theiformia ex herbis temporantibus ac discutientibus v. g. herba veronica, millefoli betonicæ cum glyzyrchiza sepius ordinanda, ut sanguis diutior, temperator atque ad circulationem promtior redatur.

§. XXIX.

Quodsi vero hic affectus a cacockymica sanguinis constitutione & humoribus lentis, crassis, vilcidis, falsis, viscerum itemque infarctu atque obstructione originem suam habeat, tunc præter venæ sectionem medicamenta leniter evacuantia, absorbentia, incidentia, aperientia, sanguinem depurantia, ut & tonica ac vividiorem motum universæ masse humorum conciliantia opem ferunt præstantissimam, si tamdiu continentur, donec natura hoc modo ad iuta paulatim se collegerit ac functiones corporis vitales pristinam integritatem recuperarint. Hunc in finem generaliter commendari merentur ex evacuantibus pilulæ balsamicæ laxativæ ad methodum Becherianarum ex herbarum amararum & radicum purgantium extractis a. g. ex extract. absinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, millefolii, rhabarbari, hellebori nigri, itemque ex balsamis, gam-

gummatibus resnolis & pulveribus confortantibus paratæ: Hæ enim non modo bilis balsamum excitant & restituunt, sed & simul intestinorum robur ac peristalticum motum secundant ac humores noxios leniter & absque ulla tormenta molesta educunt. Ex absorbentibus huc possunt pertrahi pulveres contemperantes & acidum destruentes, inter quos maxime commendari meretur pulvis absorbens cl. Wedelii cum aliquot guttis Essentiae Castorei mixtus. Ubi vero acrimonia humorum biliosa oneri est & spasmus intensius urgent, admisceri his pulveribus commode possunt nitri & cinnabaris aliquot grana. Mirum enim est, ut nitrum & cinnabaris spasmos, qui in hoc morbo urgent, deliniant. Ex aperientibus & sanguinem purificantibus, quorum usus hic eximius est, non satis dilaudari potest, decoctum ex rad. chinæ, cichorii, sarsaparillæ, scorzonerae, lapathi acuti cum passulis minoribus, quod loco omnium reliquorum alias magnis encomiis decantatorum medicamentorum, que sanguinis depurationi dicata sunt, esse poterit. Quadrant huc quoque infusa ex herba agrimonie, fumaria, scordii, betonicae & aliis ejusmodi concinnata. Hisce vero omnibus per longum temporis spatium debito ordine, ac modo frustra adhibitis exoptatissimum auxilium, si vires ægri ferunt, ex thermarum Carolinarum & hujus generis aliarum decenti usu sperandum est, quippe quarum virtus in viscerum infarctu tollendo & obstructione referanda plane admirabilis est, sale enim suo alcalino, quo pollent, coagulatos humores optime resolvunt ac dissipant & hoc modo liberiorem sanguini per viscera abdominis conciliant transitum,

§. XXIX.

Quando palpitatione cordis originem & causam habet in feminis ex retentione mensium, in viris vero ex haemorrhœo.

D

rho.

rhoum suppressione & sanguis regurgitans ad superiora cordis thalamos petit, ibique vim suam exerit, tunc præter venæ sectionem & balsamica evacuantia, absorbentia, bezoardica & decocta temperantia creberimæ partium inferiorum frictiones, pediluvia quoque & infessus in balneum aquæ dulcis suadenda, non neglectis in feminis lenioribus emmenagogis, si ætatis ratio permittit, in viris vero haemorrhoides blande allicientibus. Cavendum vero quam maxime est, ne feminis hystericis, quæ ob uteri confectionem morbosam hanc passionem sèpissime experuntur, suaveolentia vel alia medicamenta, a quibus naufragium conceperunt, improvide propinemos, eo quod talia interne vel etiam externe tantum adhibita, confestim uteri suffocationem, uti loqui amant auctores, vehementem & ex consequenti palpitationem cordis majorem introducant. Dulcia quoque hoc in casu dare non oportet, sed potius amara atque castorina, utpote quæ utero satis amica.

S. XXX.

In palpitatione cordis a flatibus sanguifera vasa corque ipsum exagitantibus & dilatantibus acrimoniam & motum humorum temperantia, blande incidentia & speciatione salia fixa & nitrofa, clystères quoque carminativi, sanguinis missio plurimum opis adserunt. Quandoque etiam hoc in casu ipsa opiate, si dolor atrox simul intensissime urget, sed rite preparata & correcta in refractiori dosi admitti possunt. Cavendum vero maxime tunc est a nimio volatilium, in primis aromaticorum usu, haec enim humores tenaces ac viscidos in subtile halitus resolvendo, copiosior rem potius flatuum proventum ac ipsum adeo malum agent & novorum tumultuum in corpore causam præbent. In ea vero cordis palpitatione, quæ originem suam duxit a nimia sanguinis profusione & virium ingenti lap-

fit, ea remedia, quæ sanguinem ingenerant, quæ vires
restaurant, insimulque genus nervosum corroborant, prima-
riam curationis abolvunt partem.

§. XXXI.

Si causa hæret in corde ipso, raro hic affectus perfe-
ctam curationem admittit. Ut enim excrescentia ejus, ru-
ptaque vel exesa valvulae, abscessus, calculose, steatomato-
se vel cartilagineæ concretiones & vitia similia cognosci
certo nequeunt, sic etiam artis operam plane eludunt, quia
medicamentorum vires his tollendis non sufficiunt & cor
vel pericardium, si abscessus in culpa est, non patitur, ut
ita temere, inconsulto & citra certam loci affecti cognitio-
nem instituamus sectionem. Quodsi igitur hoc facere non
licet, ubi abscessus adest & materia fluida intus continetur,
tanto minus id licebit, ubi concrementum aliquod durum
circa cor aut in corde consistit, nec etiam, quando stea-
tomatosæ, imo cartilagineæ vel lapideæ adsunt concrecio-
nes, uti rectissime fentit *Henr. Meibomius* loco sepius jam
citat.

§. XXXII.

Concretiones polyposæ, uti difficulter judicantur,
antequam perfectæ fuerint, ita vix vel plane non sanatio-
nem recipiunt. In principio quidem, ubi magis adhuc ex
sanguinis grumis invicem coactis, quam membranaceis &
carneis fibris constat polypus, spes aliqua curationis resi-
det in decenti thermarum Carolinarum potu, quæ sale suo
abstergivo alcalino concretos humores dissolvendi ac
potenter dissipandi efficaciam possident non contemnen-
dam. Ceterum in casu desperato & ubi ex firmissimis fi-
bris compactus polypus nulla ratione extirpari po-
test, prospiciendum potius est, ut conve-

nienti diæta & medicamentis attenuantibus & fluxilitatem humorum conciliantibus mali ferocia levetur & ultius polypi incrementum præcaveatur. Succurrendum quoque interdum est venarum incisionibus , ut sanguinis aliqua parte , quæ oneri est , demta , reliqua eo liberiori cursu per vasa circulari possit. Demum quando vermium adest suspicio , tunc preter memorata remedia cacochymicæ humorum dicata , in usum vocanda sunt anthelminticas , qualia sunt succi herbarum amararum , mercurialia , tanacetum & ex eo parara medicamenta. Tandem si a venenis causticis vel draisticis purgantibus adsumitis passio hæc fuerit exorta , tunc pro horum varietate convenientia remedia præscribenda dandaque in primis opera , ut venenum per vias idoneas maturius expellatur ejusque spicula obtundantur.

§. XXXIII.


Quoniam vero nullum præsidium adeo generosum est , ut aliquid boni efficere possit , nisi vietus ratio debita & exquisita accedit , hinc ante omnia , injungendum ægris est , ut diætam accuratiorem observent & ab eadem nullo modo deflectant. Diæta vero summa in eo consistit , ut ejusmodi gravi & molesto affectu , a quacunque demum causa profiscatur , detenti temperantiam in cibo sibi commendatissimam habeant , interdum quoque in media corpus exerceant & loco vietus carnosæ feligant herbacea fercula , quæ præsertim ineunte vere ex herbulis blandis & tenerioribus v. g. ex spinachia , chærefolio , nummularia , chelidonio minori , bellide minori , petroselino , asparago & aliis ejusmodi parari queunt. In horum locum interdum quoque substitui possunt juscula gallinarum juniorum cum radicibus temperantibus , quales sunt rad. chinæ , scorzonerae , cichorii aliæque decocta & sèpius usurpar-

ta.

ta. Hæc enim omnia succum præbent naturæ amicum, nec venas sanguine adeo onerant & expandunt & quod maximum est, obſtructioni & viſcerum infarctui ſimul dicata ſunt. Potum quod attinet, is quidem poterit eſſe paulo copioſior, neutiquam vero ex vino calidiori, multo minus ſpiritu vini vel aliis liquoribus ſpirituofis conſtarē debet. Præſtat potius pro potu ordinario ſeligere cereviſiam dilutionem, bene defecatam & caput non offendentem vel gravantem, qualis eſt in hoc maxime diſtriictu famigeratissima Lebiginensis, in defectu vero cereviſia bonæ & naturæ corporis noſtri amicæ optime ſubstituitur aqua ex radicibus temperatis decocta. Præterea aër feligendus purus, temperatus ac ſerenus, iſque quodammodo intemperatus eſſluviis ſuaveolentibus euijusque naturæ gratis corrigendus. Cumprimis vero cavendum ab animi affectibus, maximeque ab ira atque terrore, ut & a voluptatibus venereis, utpote hæres ex ſua natura hunc affectum in ſcenam producere valent. Poſtremo opera danda eſt, ut excretiones corporis bene repondeant, alvus ſemper officio ſuo fungatur, & transpiratio liberior conſervetur. Hisce ſalutaribus diætae præceptis ſi aures dent ægri, eaque diligenter obſeruent, non dubium eſt fore, ut a moleſtissimo hoc malo interpoſitis aptis medicamentis ſi non prorsus libe- rentur, multum tamen levaminis inde ſint
percepturi.

FINIS.





Ma 1683

f



56.

Rest. / Schm.

Jah. 26

16.

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
DE

PALPITATIONE CORDIS,

QVAM
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,

PRÆSIDE,
DN. FRIDERICO HOFFMANNO,
ACADEMIÆ h. t. PRO-RECTORE MAGNIFICO,
ET ORDINIS MEDICI DECANO,

PRO DOCTORIS GRADU,

in arte salutari obtainendo,

Placido Philiatrorum Examini
submittet,

AUCTOR,

CHRISTIANUS GOTTLÖB Steudner/

GRYPHORINO - SILES.

Die Maji 4. c. M DCC XIX.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
TYPIS IOH. CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

		Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
		Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Blue																						
Cyan																						
Green																						
Yellow																						
Red																						
Magenta																						
White																						
3/Color																						
Black	B.I.G.																					